



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro animæ mystica facietate, precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

gloria, tu gaudium & consolatio, tu requies & voluptas, tu refugium & firmū præsidium. In te radicata non errabit, in te manente, fructum multum feret quia sine te nihil boni præstare potest, Amen.

*Pro incremento diuini amoris, precatio.*

**D**omine sancte Pater omnipotens æterne Deus, propter tuam largitatem, & filij tui, qui pro me sustinuit passionem & mortem, & per matris eius Virginis gloriose sanctitatem, atq; B. Brunonis & omnium sanctorum tuorum merita, concede mihi vilissimo peccatori & omni beneficio tuo indigno, vt te solum diligam, tui amore semper ferueam, tuum honorem semper sitiam, beneficiū passionis Filij tui continuè in corde meo habeam, meam miseriam recognoscam, & ab omnibus conculcari & contemni appetam. Nihil me afficiat nisi tu, nihil me contristet nisi culpa, Amen.

*Pro illuminatione mentis ac ebrietate amoris Dei, precatio.*

**O**riens splendor lucis æternæ, & sol Iustitiæ, veni & illumina me cognitione misericordiæ tuæ & miseris meæ. Fac in me vitium deperire, & omnis boni germen oriri. Per desiderium quod ab æterno habuisti ad nostram redemptionem, trahere omne desiderium meum in te per vinculum amoris, quod te traxit de sinu Patris in gremium matris. Da vt inebriet me ignita & mellisua vis amoris tui, quæ me faciat omnium terrenorum funditus obliuisci præ magnitudine amoris: aded, vt sicut flamma ardens totus ardeam tui desiderio, quod nulla creatura possit extinguere, Amen.

*Pro diuini honoris Zelo contemptuq; rerum pereuntium, precatio.*

**B**one Iesu, fac vt totis medullis & omnibus viribus amem te, summe timeam & reuear. Fac me pro omni honore tuo fortissime zelari, ita vt omne opprobrium tuum, tanquam gloriæ tuæ zelo: ypus, vehementissime exhorrescam, mei contemptum diligam, & mundum cum omnibus quæ transitoria sunt tui amore contemnam Amen.

*Pro anima mystica facietate, precatio.*

**A**mator ardentissime dulcis Iesu, da vt anima mea te solum esuriat panem Angelorum, refectioem animarum, panem nostrum supersubstantialem habentem omnem dulcedinem, saporem atque omne delectamentum suauitatis, te inquam, in quem desiderant angeli prospicere semper esuriat & comedat anima mea, & dulcedine saporis tui repleantur omnia interiora mea. Te sitiat semper fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, fontem vitæ, torrentem voluptatis, vbertatem domus tuæ. Te semper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum sancta perseuerantia vsque in finem, Amen.

*Pro vnione anime cum Deo, precatio.*

**I**esu Christe corona æternæ iucunditatis, per gaudium quod in passione tua sanctissima anima tua habuit de humana redemptione, obsecro te, intrahere in te cor meum & animam meam, vt extra te nunquam in aliqua creatura valeam vel ad momentum delectari. Concede mihi o suauissime Domine Iesu vt omne desiderium

rium